

DISSERTATIO IN AVGVRALIS IVRIDICA

DE

T V T E L A  
S. R. I. PRINCIPVM

QVAM  
IN ELECTORALI ACADEMIA ERFORDIENSI  
ANNVENTE ILLVSTRI FACVLTATE IVRIDICA

SVB MODERAMINE

DN. RVDOLPHI CHRISTOPH.  
HENNE ICTI,

ORDINIS ICTORVM ET IUDICII PROVINC. ASSESS. NEC NON IURIS  
PUBLICI P. P. O.

FAVTORIS AD CINERES VSQUE COLENDI

PRO GRADV DOCTORIS

E.T.

SVMMIS IN VTROQVE IVRE HONORIBVS  
CONSEQUENDIS

DIE IX NOVEMBR. M DCC LVI.

IN AUDITORIO IVRIDICO COLLEGII MAIORIS HORIS  
CONSVENTIS


PUBLICO ERVDITORVM EXAMINI SUBMITIT

NICOLAVS FRIDERICVS LENTIN

ERFFORD  
HOSP. MAI. ADMINISTR.

ERFORDIAE, Litteris HERINGIANIS, ACAD. TYPOGR.





SECTIO I.

DE TUTELA PRINCIPIVM IMPERII IN GENERE.

S. L



mni caret dubio, Principes Imperii  
vigore patriæ potestatis Liberis  
suis rutores dare posse, quoniam  
1) hodierno tempore feuda pos-  
sident, hæreditario jure ad liberos  
devolvenda, qua olim vasalli morte finiebantur *a)* ut  
adeo vasallo non licuerit Feudi Domino tutorem obrudi-  
dere, etiam si allodialium bonorum respectu, jus com-  
mune Romanum, vigore cuius integrum Parentibus  
testamento tutorem dare *b)* & tunc fuerit obseruatum  
2) nulla reperitur lex prohibitoria quoad hunc passum,  
nisi quod A. B. circa facultatem testamento constituen-  
di Tutorem Electoribus, singulare quid disposuerit,  
vid. RINGER *c)*

A 2

*a)* arg.

- a) arg. 1. F. 1. §.  
 b) arg. §. 3. J. de Tuteis.  
 c) in specimine juris publici de Tuteis Illustrium.

## § II.

Quæritur vero, utrum Tutor Principis semper ejusdem cum Principe religionis esse debeat? quæ situm fuit hac de re post obitum GEORGII REINHARDI comitis Ortenburgici surgente desuper lite inter defuncti fratrem CHRISTIANVM ejusque vi duam ESTHEREM DOROTHEAM occasione tutelæ filii GEORGII PHILIPPI, re ad Judicium Aulicum delata, pronunciatum fuit pro Comite CRISTIANO Catholicæ religioni addicto, matre pupilli querelas defupet Corpori Evangelico in comitiis ea propter expONENTE, mittebantur quidem in ejus favorem intercessio nales a protestantibus ad cæfarem sub dato Regenspurg d. 14 Nov. 1667. ubi inter alia: umb so viel mehr ist nicht ohne Besremung zu vernehmen, das erwehnter Herr Graf Christian, da er acken Umständen nach die Vormundschaft des jungen Grafen auf sich zu bringen bedacht ist, gnugsam u. zum vorauß zu erkennen giebt, wie derselbe von der in gleichen Rechte mit der Catholicischen im Reiche stehenden Religion Augspurgischer Confession ab, und zu der Catholicischen anzuhalten, unerachtet er seines, des Herrn Vettern eigenen Anziehen gemäß mit des Herrn Vatern Wissen und darunter gehabten freyen Willen, ohne einige wiedrige Verordnung weder bey Lebzeiten noch auf den Todes-Fall darinnen erzogen worden, sich auch nunmehr nach zunehmen der Jahre und besser gelegten Fundamenten, zu solcher christlichen Glaubens-Bekäntniß öffentlich, wie unlaugbar

bar beckenet &c. vid. FRITSCH a) ast nihil obtinuit, excepto eo, quod sub ipsius directorio in religione Evangelica filius porro fuerit educatus, conf. IMHOFF b) nescimus autem an nuda religionis diversitas validus sit titulus repellendi aliquem a tutela jure sibi debita nisi circumstantiae aliæ occurrant ejusmodi exclusiōne se cum trahentes, postquam semel cautum, religiones in Imperio solenniter receptas nemini damno-fas esse debere, sed potius paribus uti debere juribus, accedit, quod variæ inconvenientiæ eo ipso sint ortu-ræ, si unicuique ex favore illius, cui additus est, religionis, jurium dispositiones, accommodare liceret, vid. PFEFFINGER ad VITRIARIVM c).

a) in Electis juris publici cap. 9.

b) in Notitia Procerum Imp. lib. 6. cap. II. §. 9.

c) Tomo 4. pag. 136.

### §. III.

Tutor autem testamento datus semper a Camera Imperiali confirmandus est a) eodem modo res se haberet, si pupilli in testamento tutorem non acceperunt, vel si minores curatorem non habent, mater, aut proximus agnatus pupillo tutorem vel minori curatorem a Camera petunt, ita etiam Camera ex officio interdum tutorem constituit, nemine licet petente, Cameræ enim jurisdictio immediate in hoc casu fundata est lege Imperii ita jubente b). Expediuntur autem in Camera ut plurimum ejusmodi confirmationes per modum Decreti, in Aula Cæsarea vero, mediante solenni Diplomate, prævio Imperatoris titulo, appensoque

A 3

ejus-

ejusdem sigillo. Exempla sicut ab EYBEN c) non semper tamen has confirmationes expeti, documento est HEDWIG SOPHIA Brandenburgica WILHELMI VI. Landgravii Hasso-Casselani vidua, filiorumque tutrix, cui Imperator in literis titulum der Vormunderin und Regentin non denegavit, etiam si confirmationem tutelae suae ab Eo non impetrasset, conf. ALEXANDER d).

- a) *Reformat. politica de 1577. tit. 32.*
- b) *O. C. parte 3. tit. 3.*
- c) *de tutela faminea parte 3. membr. 2. §. 17.*
- d) *in dissert. de tutela materna Principum Imperii.*

#### §. IV.

Interdum etiam pater liberis suis mediatos tutores dare potest, e. g. unum vel alterum Consiliarium de cuius integritate & diligentia persuasus est, ita Marchioni cuidam Badensi paternis ex tabulis tutor Cancellarius datus, ac anno 1589. in Camera confirmatus est, vid. GYLMANN a). Sæpius enim accidit, ut parens æqualis conditionis tutorem, cui fidem habere possit, non reprehendere queat, vel alii ex causis illum tutorem constituere non velit, nihil igitur hoc in casu impedit, quo minus unum ex Ministris suis tutorem constituere Ipsi licitum sit, nulla desuper lege prohibitiva exstante.

- a) *tom. 3. Symphorem. Cam. verb, Tutor.*

#### §. V.

Nullo autem in testamento constituto Tuteore tutela Principum pertinet ad proximiores agnatos, quia cessante voluntate hominis incipit voluntas legis, respicitur vero hic potissimum uti in tutela privatorum

ad

ad proximitatem gradus, ita, ut vulgatum axioma hic locum habeat: proximior excludit remotiorem, idque summa providentia ita constitutum est. Fatente Imperatore JVSTINIANO a) ut, qui sperarent successionem, tuerentur bona, ne dilapidarentur.

a) *Proæmio Inst. de legitimis tutoribus.*

### §. VI.

Singulare quid est in tutela Principum Imperii albo lapillo notandum, quod non, uti tutores priyati, qui jure Romano finita tutela, rationes reddere, vel uti hodie singulis annis rationum redditionem exhibere obstricti sint, & residuum restituere debeant, sed usum fructum habeant de singulis redditibus superfluis & ad sustentandum Pupillum non necessariis, quod sicuti nondum recepto in Germania jure Romano in privatis quoque tutelis obtinuit, ita recepto licet jure Romano in tutelis illustribus viridi adhuc frequentatur observantia, & illi qui tutoris nomine Provincias Germaniæ administrant, rationum redditioni non obnoxii sunt, conf. Illustris de LVDEWIG a).

a) *in Dissertations de tutela fructuaria Germanorum.*

### §. VII.

Minor immediatus sub Curatoris Patrocinio manet, donec ad vigesimum quintum annum completum pervenerit a) & quamvis in A. B. aliud constitutum de filiis Electorum, quippe qui anno ætatis 18. maiores fiunt, hoc tamen, tanquam jus exorbitans, ad alias casus extendi non debet RÜMELIN a) nisi una vel altera Familia illustris privilegium gentilium obtinuerit ab Imperatore, quo decimo octavo ætatis anno minori primo-

2011

primogenito, regimen ducatus aut Comitatus concedatur. Quale privilegium Duces Brunsuicenses, Lüneburgenses, Pomerani, ac Principes Anhaltini habere dicuntur, **LIMNAEVS b)** vel etiam Princeps minor ab Imperatore veniam ætatis imperi traverit, **LIMNAEVS c).**

a) ad A. B. 1. Diff. 7. concl. 10.

b) in jure publico lib. 3. cap. 7. num. 41.

c) in jure publico lib. 2. cap. 9. num. 14.

## SECTIO II.

### DE TUTELA MATERNA PRINC. IMP.

#### §. I.

**R**omanis persuasum fuit, tutelæ gestionem virile munus esse, ultraqua sexum femineæ infirmitatis, excepto casu ubi beneficij loco Princeps quandoque matritutelam commisit a) cum constet, ipsas feminas sub perpetua fuisse tutela, vid. OTTO JCtus celeb. b) vulgare vero cum sit, apud Germanos matri, patre etiam viiente potestatem in liberos esse, horumque si minores moriantur, hereditatis portionem eidem obvenire, nil dubii est, quin patre mortuo, mater liberorum tutelam gerere queat, ut enim affectus matris in natos tenerimus, & sincera plane pietas est, ita nihil metuendum, ut tutelam administrando, in eorum fraudem inconsiderate procedat, maxime si semel a magistratu sit confirmata quare & jure Romano novissimo JVSTINIANVS Imperator amoris naturalis probe conscient, matri & aviæ volenti sub certis conditionibus permisit tutelam liberorum c). Nec differentia hic inter matres

tres Illustres & alias minoris dignitatis singenda.  
 Quod ipsum etiam Serenissimus Princeps Anhaltinus  
 EMANUEL LEBRECHT in tabulis-testamenti sub dato  
 Edthen dñ 2. Dec. 1702. apud LÜNIGIVM d) exemplo  
 conjugis suæ agnovit, inquiens: Weilen auch unsere Prin-  
 hen und Prinzessinen, annoch in ihren ersten Jahren be-  
 griffen, und wir nicht wissen, ob der große Gott das zeitli-  
 che Leben uns so lange fristen möge, daß wir sie selbst bis zu  
 ihrer majorenität erziehen können, und wir hiebey billig  
 erwegen die ungemeine Liebe und Treue, welche unsere von  
 Herzen geliebte Gemahlin, die Durchlängtigste Fürstin  
 und Frau Gisela Agnesa, Fürstin zu Anhalt uns und uns-  
 deren Fürstlichen Kindern bis anhero erwiesen, und dahero  
 niemand sicherer und besser als ihr derverselben Auferziehung  
 anvertrauen können; So haben wir aus wohlbedachten  
 Muth und guten Rath, hiermit wohlgedachte unsere Frau  
 Gemahlin zur einzigen Vormünderin unserer nachgelassenen  
 Fürstlichen Pupillen und Minorennum vorgestalt consti-  
 tuirt und geordnet, daß selbige nicht nur die Auferziehung  
 derselben über sich nehmen und führen, sondern auch hierbey  
 die völliche Administration, was den statum publicum  
 Regiminis unserer Fürstl. Landes-Portion anlanget, gleich-  
 mäfig allein haben und exercire sol. Idem disponunt  
 veteres leges Wisigothorum e) & Speculum Saxonii-  
 cum. f)

a) arg. l. i. C. de legit. tutel. lib.

b) in Dissert. de perpetua seminarum tutela.

c) Nov. 94. cap. 2.

d) parte spes. des Reichs-Archivs contin. 2. sect. 4. num 13.

e) lib. 4. Tit. 2.

f) lib. 1. Art. II.

Difficilior vero & magis ardua quæstio est, utrum mater tutelam liberorum prætendere valeat, etiam si a marito ab ea fuerit exclusa? in utramque partem tam negativam quam affirmativam proferuntur argumenta, affirmantium argumenta sunt 1) matri & aviae a nemine auferri posse, quod legis beneficio ipsis concessum a) 2) nudam patris voluntatem matri neutri quam præjudicio esse b) 3) obstat leges c) vetantes dari tutorem contra parentum voluntatem. Negan-  
tium vero argumenta huc potissimum redeunt 1) quod leges patri facultatem pro libitu nominandi liberis tu-  
torem in testamento in præjudicium etiam matris aper-  
te largiantur d) 2) patris voluntatem matri omnino  
præjudicio esse posse, quoties legibus, uti in casu sub-  
strato, corroboratur 3) allegatas leges alium plane sup-  
ponere casum. Nobis vero si ex vero loqui & dicere,  
quod res est debemus, arridet sententia BACHOVII e)  
putantis, matrem a patre exclusam tunc demum non  
admittendam, quando justa ex causa noscitur exclusa,  
v. g. quod pater sciverit, matrem dubio procul libero-  
rum bona decocturam, vel in præjudicium filiorum  
minus æquam se præstirat, vel quod minus honestam  
vitam ducat, liberosve odio prosequatur, cessante vero  
eiusmodi causa, pater neutriam matrem vel aviam  
poterit a tutela excludere, nec eiusmodi causæ in ma-  
tre præsumuntur, ob pietatis & charitatis favorem,  
quo mater liberis naturaliter addicta, hinc ab allegante  
probantæ sunt, BRVNNEMANN f) omnis enim præ-  
sumptio est delictorum exclusiva, ac aliquid famam su-  
gillans

gillans delicta continent, maximumque inferunt præ-judicium.

- a) I. II. de Regulis juris.
- b) arg. Nov. 118. cap. 5.
- c) I. un. c. § contra matris voluntatem.
- d) arg. Autb. matri C. quand. mul. tut. offic. fung. pot.
- e) ad Treutlerum vol. 2. disp. 8. thes. 3.
- f) ad Autb. matri C. quand. mul. tut. offic. fung. pot.

### S. III.

Multa quoque prostant exempla matrum Illustrium integra regna administrantium, cuius rei exempla sat multa adduxit PFEFFINGERVS a) ex quo certo colligimus, quod eo magis minores Imperii Principatus regnare valeant, ita ut pariter quoad hunc passum exemplis non careamus in Imperio, ex quo prono fluit alveo nihil obstat, quo minus mater Illustris tutorio nomine ejusmodi provincias administrare queat. Matres vero tutelam Illustrium suscepturnæ, secundis nuptiis renuntiare tenentur, ob rationes, quas CONSTANTINVS Imperator in Rescripto ad populum Anno 326. suppeditavit b). Lex inquit *nonsolum contra tutores, sed etiam contra feminas immoderatas atque intemperantes prospexit minoribus, quæ pierumque novis maritis non solum res filiorum, sed etiam vitam addicunt*. Ab initio hæc renuntiatio iurato fieri debuit c) postea vero id correctum, & sufficiens judicatum fuit, si simplex intercedat renuntiatio absque juramento, si mater ad secunda vota nihilominus transeat, ea repente a tutela expellitur d). Nec discrimen hic inter feminas illustres, aliasve inferioris notæ constitendum est, uti documento sunt preces Comitissæ cuiusdam, tutelam filii in Camera petentis, apud GYLMAN-

NVM e). Pariter hoc evincit Tutorium FERDINANDI III. Imperatoris de anno 1639. 10. Oct. Ducissæ Megapolitanæ & Principi Anhaltino concessum f) ut & confirmatio Cameralis tutelæ MARIAE ELEONORAE a LVDOVICO PHILIPPO Comite Palatino ad Rhenum Simmerensi, a Marito, constitutæ liberorum Tutricis de anno 1655. 30. Oct. apud ALEXANDRVM g) nec non juramentum GEORGII FABRICII ex mandato & nomine MAGDALENÆ SYBILLÆ, WILHELMI LVDOVICI, Duciis Württembergici, viduæ, qua Tutricis in aula cæsarea præstatum, apud eundem ALEXANDRVM h) ex quo simul appetet i) nec Tutrices Illustres, postquam voluntatem suam fuscipiendæ tutelæ, coram competente judice semel declaraverint, immunes esse a juramento in fuscipiendo tutelis regulariter præstando. 2) Eas non minus ac tutrices alias, sub hypotheca generali omnium bonorum, promittere teneri, se tutelam fideliter, & juxta præscriptas leges, conventionesque gesturas, 3)jutamentum hoc etiam permandatarium præstari posse, 4) illud non esse confundendum cum juramento, quod olim in renuntiatione secundarum nuptiarum & SCti Vellejani præstandum erat, cum hodie non, nisi in administrationem ipsius tutelæ dirigatur. Pariter quoque matres Illustres ad instar privatarum tutricum Senatusconsulto Vellejano renuntiare oportet i) ne i) in tutelæ judicium vocatae, beneficio ejus se tueri satagant, nec 2) privilegiis reliquis ex eodem Senatusconsulto vel aliunde sexui muliebri competentibus, munitæ in damnum pupillorum aliquid moliantur.

a) ad Vitriarium lib. III. tit. 20, §. 20,

b)

- b) l. 22. C. de Administratione Tutorum.
- c) l. 2. C. quando mulier tutelæ officio fungi potest,
- d) Autb. Sacramentum C. quando mul. tut. offic.
- e) Tom. i. Sympbor. Cam. part. 2. tit. 1.
- f) in Abdruck der Kässerl. Resol. in Sachen i. Mecklenburg.
- g) de Tutela femin. Illusfr. p. 77.
- h) loco citato p. 81.
- i) Nov. 94. cap. 2.

#### §. IV.

Obstare quidem videntur opinioni nostræ, matrem ad Tutelam filiorum Illustrium admittenti, quod  
 1) ex supra adductis in tutela legitima ad successio-  
 nem respiciendum sit, jam vero feminæ a successione  
 Principatum, Ducatum & Comitatum regulariter  
 excludantur 2) turelam esse munus publicum, feminæ  
 vero ab omnibus munenibus publicis & per conse-  
 quens etiam a tutela excludi a) 3) pudicitiae mulie-  
 bris sexus haut congruere, quod civilibus negotiis se  
 immisceant b) 4) animi constantiam, rerum peritiam,  
 maturamque deliberationem, quæ in bono tutore re-  
 quiruntur, feminis non inesse, utpote quarum consilia  
 scœpe adversus propria ipsarum commoda labora-  
 re, inveniantur c) 5) jure Saxonico ipsasmet feminas  
 subesse curatoribus. 6) Illustribus feminis specialiter  
 refragari, quod in feudis non succedant, nec ordinaria  
 servitia, ad quæ vasalli adiguntur, præstare queant,  
 e contra illas in præjudicium Domini directi Agna-  
 torum, imo ipsius pupilli ob imbecillitatem natura-  
 lem facile quid committere posse, si tutelæ officio fun-  
 gerentur, verum enim vero hæc argumenta non sunt  
 ta comparata ut ea quæ supra docuimus, evertant 1)

B 3

enim

enim mater & avia cum mulieribus quibuslibet per-  
peram confunduntur ob claram rationis diversitatem  
in legibus extantem d) 2) matri & aviae tutela de-  
fertur, non tam jure successionis, quam primario pie-  
tatis intuitu, singularisque plane earum affectus erga  
liberos, omnes subtilitates juris resipientis, vid. CAR-  
PZOVIVS 3) e) si muliebris infirmitatis titulus non re-  
pugnet, quominus ad gubernationem integræ reipu-  
blicæ, Principes hujus sexus admittantur, eo magis ad  
simplicis tutelæ gestionem ruto admitti possunt<sup>4)</sup> tot  
exempla Illustrium seminarum in annalibus extant,  
quæ tam animi constantia quam rerum peritia ac ju-  
dicio innumeris viris palmam præripuerunt<sup>5)</sup> jus  
Saxonicum peculiare universo illustrium seminarum  
ordini parum vel nihil detrimenti affert, praesertim  
cum 6) nondum probatum satis sit, hoc jus etiam quod  
ad feminas illustres attinet, tutelæ feminineæ contra-  
riari. Quod vero ad objections Illustribus in specie  
factas attinet, infirmum admodum est argumentum  
a jure succedendi ad tutelæ administrationem, uti enim  
falsa est propositio: Tutelam ibi non esse posse, ubi  
non est successio, ita etiam illa thesis falsitate laborat:  
Tutelam semper ibi esse, ubi haereditas est. Quod  
vero ad servitia attinet, conciamatum est, hodie illa  
non amplius in propria persona præstari, sed certam  
quantitatatem pecuniae & copiarum esse præstandam,  
quæ omnia a Matre etiam expediri & sub ejus Direc-  
tione fieri possunt, nec ullum inde periculum me-  
tuendum, cum Matres sint instructæ Consiliariis, A-  
gnatis aliisque viris gravibus.

4)

- a) arg. princ. J. de Excusat. Tutor.
- b) arg. l. i. ff. de postulando,
- c) Nov. 94. cap. i. & Nov. 118. cap. 5.
- d) parte 2. const. II. definit. II.

## SECTIO III.

## DE TUTELA ELECTORVM.

## §. I.

Variis hinc inde disceptatur argumentis, utrum etiam tutela testamentaria locum habeat in Electoribus, ita ut parens primogenito Principi minorenni in Electoratu successuro per testamentum de tute prospicere possit? in utramque partem hic dantur Doctorum sententiae, & haec controversia potissimum agitata fuit ab obitu FRIDERICI IV. Electoris Palatini 1610. d. 9. Sept. denati, inter JOHANNEM II. Comitem Palatinum Rheni Bipontinum a defuncto in Testamento liberis datum tutorem, atque PHILIPPVM LUDOVICVM Comitem Palatinum Rheni Neoburgicum eandem tutiem ad se, tamquam proximiorem Agnatum adeoque ab ipsa lege Aurea Bulla scilicet constitutum Tutorem pertinere, afferentem a) peculiari scripto haec controversia in utramque partem fuit disceptrata, b) hinc argumenta 1) affirmantium posse tutelam testamentariam hic locum habere, in medium proferemus, 2) negantium quoque fundamenta subincudem revocabimus, sententiamque nostram addemus, Primo igitur affirmandes dicunt, quod Testatoris dispositio Tutorem legitimum excludat c) 2) Pater liberis melius prospicere presumatur lege 3) Pater melius idoneum Tutorem

ab

ab inidoneo secernere queat 4) quilibet optimus rei  
suae moderator & arbiter esse credatur. d) 5) CARO-  
LVS IV. Imperator per omnia fere Aureæ Bullæ capi-  
ta, prærogativas & jura Electorum extollens, re vera  
conditionem Illorum deteriorem redditissæ, si Illis non  
liceret id, quod omnibus Imperii Civibus permisum,  
dare scilicet liberis Tutores 6) nullibi legatur, lauda-  
tum Imperatorem Testamentarios Tutores ab admini-  
stratione Provinciæ Electoralis exclusisse, 7) multo  
minus exemplum sententiae contrariæ, quæ in foro  
contradictorio obtinuerit, reperiatur 8) publice inno-  
tescat, LVDOVICVM III. Electorem Palatinum 1436 de-  
functum, præteritis in testamento fratribus natu ma-  
joribus JOHANNI & STEPHANO, fratrem juniores  
OTTONEM liberis Tutores constituisse, hunc etiam us-  
que ad annum 1442 tutelam administrasse, imo anno  
1439 tutorio nomine ALBERTI II. Imperatoris elec-  
tioni interfuisse 9) similiter LVDOVICVS IV. Elector  
ipse, priusquam 1449 naturæ debitum reddiderit PHI-  
LIPPO unico filio HENRICVM Archi-Episcopum Mo-  
guntinum & VLRICVM Comitem Wurtembergicum  
Tutores dederit, 10) LVDOVICVS VI. Elector Palatinus  
itidem in testamento 1583 condito tutelam filii FRI-  
DERICI IV. non a solo fratre JOHANNE CASIMIRO ad-  
ministrari volens, contutores tres nominaverit, scili-  
cet GEORGIVM FRIDERICVM Marchionem Brandenbur-  
gicum, LVDOVICVM Ländgravium Hasso-Darmstadtien-  
sem & LVDOVICVM Ducem Würtembergicum. 11)  
CHRISTIANVS I. Elector Saxonie in testamenti tabulis  
1591 d. 30. Aug. conditis, legitimo tunc liberorum su-  
orum

orum Tutori FRIDERICO WILHELMO Duci SAXONIAE  
Altenburgensi JOHANNEM GEORGIVM Electorem Bran-  
denburgicum Contutorem associaverit. 12) RUDOL-  
PHVS Imperator ipse 1611 designatum a FRIDERICO  
IV. Electore Palatino filiorum Tutorem JOHANNEM  
Bipontinum agnoverit, teste declaratione apud CON-  
RINGIVM ad LAMPADIVM e) addatur PFEFFINGER ad  
VITRIARIUM. f)

- a) 1610 prodiit: Kurzer und wohlgegrundeter Bericht,  
dass die Vormundschaft und Administration der Churz  
Pfaltz einig und allein dem Durchlauchtigsten Herzog,  
Fürsten und Herrn, Herrn Philipp Ludwigen, als dem  
ältesten und nächsten Agnaten zuständig, und durch kei-  
nerley testamentliche oder andere Ordnung benommen  
werden kan. *Econtra 1611 prodiit: Beständige Ab-  
lehnung des Heidelbergischen Berichts in Sachen Fried-  
richs unzulässiger Vormundschaft.*
- b) vid. etiam *Manquarius de legitima tutela curiaque Elec-*  
*torali Palatina Heidelbergae 1611.*
- c) arg. l. 11. ff. da *testamentaria tutela.*
- d) l. 21. C. *Mandati vel contra*
- e) parte 3. cap. 4. S. 25.
- f) lib. 3. tit. 11. S. 4.

## S. II.

Fundamenta vero illorum qui contrarium asse-  
runt, hoc redeunt 1) se fundant in sanctione pragma-  
tica nimirum Aurea Bulla a) in verbis: *Si principem*  
*Electorem, seu Ejus Primogenitum aut Filium Semorem,*  
*Laicum, mori, & heredes masculos legirmos laicos, defe-  
ctum etatis patientes, relinquere, contigerit, tum frater*  
*Senior ejusdem Primogenitis Tutor Eorum & Administra-  
tor existat, donec Senior ex eisdem legitimam etatem atti-*

C

gerit.

III. 2

*gerit.* 2) Afferunt, per constitutionem hanc, certam  
 Tutelæ Electorali præscriptam formam esse, quæ per  
 contrariam Testatoris dispositionem, mutari nequeat,  
 cum forma de esse rei, & ex forma rem cognoscamus,  
 quod sit id, quod est, proinde dispositio hominis hac in  
 parte neutquam contraria esse debeat, dispositiō legi-  
 gis, quod vero fieret, si integrum esset Electori, alium  
 dare liberis Tutorem, quam a lege nominatum 3)  
 conditionem sub qua Aurea Bulla heredem Electora-  
 lem minorenem Parenti succedere velit, a nullo Testa-  
 tore privata autoritate tolli posse. 4) Interesse Fa-  
 miliae non pati, cuilibet ansam dari arcana domus scruta-  
 tandi 5) quoniam sicut successio Electoratus ex lege  
 fiat, consequenter in arbitrio & dispositione Testato-  
 ris plane non sit positum, num Primogenito an secun-  
 do vel tertio genito Electoratum relinquere velit, ita  
 etiam nec Tutela Electoralis proximo Agnato publica  
 lege asserta, Ei per testamentum privatum auferri queat,  
 cum nonsolum totius Collegii Electoralis, sed & rei-  
 publicæ totius intersit, quis vocem, potestatem, reli-  
 quaque Electoribus competentia jura, ad majorenitatem  
 usque Electoris exerceat? quibus omnibus in  
 favorem eorum, qui post pupilos, proxima succeden-  
 di spe fruuntur, definitis, cur pro libitu ab Electori-  
 bus per ultimam Eorum voluntatem, mutari posse cre-  
 dantur? Hæc argumenta, cum maximi sint ponderis,  
 nulli dubitamus, quin iis album adjiciamus calculum,  
 & sententiam illorum nostram faciamus, qui statuunt,  
 tutelam Principis Electoralis proximo Agnato non  
 eripi posse.

a) cap. 7. §. 4.

§. III.

## §. III.

Argumenta vero obstantia facile possunt dilui, si modo ad hæc attendamus 1) non esse quæstionem, quid nonnunquam factum sit, sed quid jure fieri debuisse 2) Auream Bullam solius Agnati proximi mentionem facere, ex quo infertur, nemini permisum esse, alium ei adjungere, multo minus alium in locum Ipsius substituere 3) Dispositione Electoris Palatini, LVDOVICI MITS PHILIPPO filio Electorem Moguntinum, & VLRICVM Comitem Würtembergicum 1449 Tutores dantis, non obstante, Fratrem Ipsius FRIDERICVM VICTORIOSVM exclusis Tutoribus Testamentariis, Tutelam Electoralem solum administrasse, competum habemus, STRVVIUS a) 4) JOHANNES CASIMIRVS Comes Palatinus Rheni Lauterenis ab obitu statim Fratris LVDOVICI Electoris Anno 1583 tredecim rationibus, jus tutelæ nepotis sibi soli ex Aurea Bulla competere, publice demonstrari curavit, Eumque etiam solum tanquam legitimum Imperator confirmavit, nec simul contutores, utut Testator forte propterea Illos nominaverit, admisit, ne tam facile Provincia ad invariatae Confessionis Augustanae dogmata reducta, sub præfato Tute ad Calvinismum relaberetur, vid. GIOVANNI b)  
5) FRIDERICVS WILHELMVS Dux Saxo-Altenburgensis in Contutela Electoris Brandenburgici, Papillorum Electoralium Avi materni, sponte consentiit, negotio Dresden d. 12. Nov. 1591 confecto, vid. ALEXANDER c)

a) In jure Publico Diff. 16. §. 28.

b) in Germania Principe lib. 5. cap. 1. §. 28.

c) de tutela materna pag. 63.

## C 2

## §. IV.

## §. IV.

Quando vero casus existat: Proxiorem Agnatum ex lege Imperii esse Tutorem Primogeniti quoad Electoratum, Ejus fratribus vero quoad provincias alias ad Electoratum non spectantes, datos esse per Testamentum patris Tutores alios, & Primogenitum mori, antequam ad ætatem legitimam pervernerit, quæritur, num Tutor legitimus qui haec tenus administrationem Electoratus gessit, etiam Tutor maneat Secundo-geniti, tanquam futuri Electoris, an vero Tutor testamentarius Tutelam continuet? ab utraque parte stant rationes, pro Testamento Tuteore facit 1) quod tutela morte pupillorum vel tutorum finiatur a) quod habentí tutorem alius tutor dari non possit b) 3) quod licet ob augmentum facultatum, priori tutori alius adjungi queat; prior tamen propterea ab administratione non liberetur sed illam continuet c) 4) quod inconveniens futurum sit, alium habere tutorem respectu Electoratus, & alium respectu Provinciarum ad Electoratum non pertinentium, RÜMELINVS d) Pro tuteore vero legitimo hæc militant argumenta, quia 1) pater in præjudicium legis publicæ, nihil statuere potest, nec 2) præsumendum, eum voluisse post fata Primogeniti, alium ejus Fratri, ætate proximo, Tutorem esse, quam legitimum. 3) Testamentarius Tutor hoc casu aliter considerari nequit, quam tutor ad certum tempus constitutus, quod hic venisse, censendum, ex quo legitimam administrare tutelam leges jubent 4) oppositæ leges loquuntur saltim simpli-citer de tutoribus, nec ad certum tempus datis, quod illis non abrogatis alii super addi nequeant, nisi quoad facult-

facultatum incrementa, quam exceptionem Aurea Bulla ignorat, vid. PFEFFINGER ad VITRIARIVM e) posteriora igitur argumenta prioribus longe esse graviora, iliaque post se multo relinquere intervallo, quis non animadvertis? hinc etiam non possumus non, quin illis album adjiciamus calculum.

- a) §. 3. *Inst. quib. mod. tut. fin.*
- b) §. 5. *Inst. de Curatoribus.*
- c) *ang. l. 9. ff. de admin. & penic. tut.*
- d) ad A. B. parte I. *Diss. 7. §. 4.*
- e) *lib. 3. Tit. II. §. 4. pag. 781.*

### §. V.

Vehementer quoque disputatur, an, quia in Aurea Bulla dicitur, quod Senior Frater Primogeniti impuberis Turor esse, debeat, Elector in testamento tutorem dare possit, nec ne? de quo casu in Aurea Bulla nihil dispositum invenitur, quare pariter ad analogiam juris & aequitatem recurrendum erit, & omniino dicendum, benigniorem esse sententiam illorum, qui cum altum sit hic in Aurea Bulla silentium illam tamen eo ipso non prohiberi, afferunt 1) quia omnia jura quibus utimur tam divina quam humana parentibus permittunt, ut cum mortui amplius liberos juvare non possint, iis saltem superstites ac morientes consulant ac prospiciant, id quod vel maxime fit tutoris datione, & hinc est, quod omnibus reliquis tutoribus tutor testamentarius a patre datus præferatur, quod talis tutor satis dare non cogatur, optime enim a patre liberis semper prospectum esse præsumitur, & fides & diligentia illorum ab ipso parente approbata esse videtur a) 2) quia alias Electores essent deterioris conditionis, quam alii status Imperii & ipsi privati, quare assertum nostrum §. I.

C 3

hujus

hujus capitinis est solummodo restringendum ad negotia electoralia, in quibus nulla dispositione paterna Agnato proximo administratio eripi potest, unicus enim finis Aureæ Bullæ eo solum tendit, ne controversiæ ac lites in electionibus, comitiis aliisque Imperii negotiis oriorentur, quando facultas testamento constituendi Tutorem quoad hæc etiam negotia Parenti esset integra, & exteri imperioque damnoſi admitterentur, ipsa etiam Aurea Bulla b) juris & potestatis eligendi solummodo facit mentionem, quare etiam vocabulum *administrator* ex antecedentibus & consequentibus explicandum erit, ex quo clarum fit, educationem aliaque negotia Electoratum non concenuentia testamentario Tutori committi posse, uti hoc multis exemplis evictum dedit perillustri Cancellarius de LVDWIG c) præsertim cum ante Auream Bullam conditam mater minorenis Electoris etiam in ipsis negotiis Electoratum & Regimen concernentibus prælata fuerit probante perillustri de LVEDWIG. d) Quid ergo obſtabit, quo minus mater Electoralis ita etiam Agnato seniori adjungi possit, ut hic quidem negotia Electoralia ſolus expediatur, cetera vero unacum matre tutrice communis nomine peragat, uti de domo electoralii Bavaria ejusmodi exemplum refert STRYCKIVS e) quoad alias provincias extra Electoratum testamentariæ tutelæ igitur absque omni controveſia locus erit, cum hic nulla adſit prohibitio, idem etiam erit dicendum de tutela Filiorum electoralium ultra genitorum, & de tutela Filiarum electoralium. f)

a) pr. I. de ſatisfat. tut.      b) in §. 4. Tit. 7.      c) in commentario ad A. B. tit. 7. lit. b. quæſt. 4. p. m. 732.      d) loco quæſt. 2.      e) in uſu modernoſſ de legit. tut. §. 25.

### §. VI.

Tutorem ſive testamento datum ſive legitimum eo  
usque

usque manere debere donec Elector attigit majorenitatem res ipsa loquitur, fuit autem ex dispositione Aureæ Bullæ a) Electores majorennnes adepto anno 18. ubi quaeritur, si annum decimum octavum nondum omnino compleverit & Parens vel moriatur, vel Tutor testamento datus vel legitimus definat esse Tutor, an Curator admittendus sit, usque ad annum decimum octavum completum, ita, ut ne unicus quidem dies, imo nec hora superesse debeat, ad exemplum alterius minoris, qui non dicitur major, usque dum ultimum diem anni 25 complevit? Regulariter decem & octo annos completos requiri, priusquam Elector officio suo fungi & administrationem rerum suarum gerere queat, nullum est dubium, idque jure servari, si Electoribus semel sint dati Tutores sive legitimi sive testamentarii, probatione nulla indiget. Quid autem obtineat, si vel Pater vel Tutor moriantur, aliove modo, veluti captivitate, sanæ mentis jaætura, perpetuo morborum cruciatu impediti, clavum Regimini amplius tenere nequeant, paulo priusquam Elector legitimam ætatem 18 scilicet annorum attingat; est proprie id de quo hic quaeritur, an nimirum casu priori, nihilominus Electori constituendus sit Tutor, juxta dispositionem Aureæ Bullæ, & posteriori novus sit substituendus Curator, an non? & hanc quaestionem nulla lege decisam esse, quilibet largietur. Existente igitur casu posteriori, mortuo scilicet anno 1592. 6. Jan. JOHANNE CASIMIRO patruo simul & Tuttore FRIEDERICI IV. Electoris Palatini anno 1574. 5. Martii nati, existimabat RICHARDVS JOHANNIS CASIMIRI Patruus Simmerensis Principatus Dominus, Administrationem Electoratus Provinciarumque inde pendentium omnium ad se spectare, eo quod Ipsius Pro nepos

nepos ex fratre, laudatus Elector FRIDERICVS IV. annum ætatis decimum octavum completum, deficientibus adhuc 59 diebus, nondum transegisset. Præcipuum Ejus fundamentum fuit Aurea Bulla, octodecim annos in Electoribus requirens, Elector vero causam suam tuitus est inde, quod modicum tempus Prætor non curet, & confessim futurum pro facto, cingendum pro cincto haberi. Faciunt huc scripta ab utraque parte publicata a). Intuitu quoque harum aliarumque rationum ab Imperatore RVDOLPHO Electorem non solum de Electoratu, sed simul etiam de omnibus reliquis ad Ipsum spectantibus Provinciis investitum fuisse, clamatum est, notatque THVLEMARIVS b) FRIDERICVM IV. Electorem testamento postea constituisse: ætas legitima in successore octodecim annorum esto, sic tamen ut exemplo ipsiusmet Electoris decimum octavum annum attigisse sufficiat, quamvis Aurea Bulla eundem completum exigat, ne forte ob paucorum mensium defectum nunc novo Tutori & Administratori, & mox ipsi rursus successori legitimò, homagium præstare subditos, & tot fieri in gubernatione mutationes, necesse sit. vid. STRVVIUS c) nec non PFEFFINGER ad VITRIARIVM d) unacum LIMNAEO e).

a) v. g. Chur-Pfälzische Ablehnung, & in contrarium, gründlicher Gegenbericht Pfalzgraf Reichards, Ejusdemque Wiederlegung, præsertim kurze Verzeichniß desjenigen so sich zwischen Herrn Reichardten &c. und Friedrich dem vierten, Chur-Fürsten den 18 Jan. 1592. und die nachfolgende Tage, wegen der Tutel und resp. Curatel, und Administration verlaufen hat. b) de osthoviratucap. 27. §. 11. c) in Syntagmate juris Publici Diff. 16. §. 30. d) Lib. 3. Tit. 11. §. 6. not. a. e) ad A. B. cap. 7. §. 2.


Sufficiant hec de illustri hoc juris argumento, primarum linearum loco delineasse, illudque primis, ut ajunt, labris degustasse, ampliore deductione ad aliud tempus dilata, nihil magis in votis habentes, quam ut sceleron & conspectus amplioris doctrinæ, temporis penuria interclusæ, & qui bonique consulatur.

**ULB Halle**  
005 355 710

3







DISSE<sup>26</sup>RTATIO IN AVGVRALIS IVRIDICA

DE

T V T E L A  
S. R. I. PRINCIPVM

QVAM  
IN ELECTORALI ACADEMIA ERFORDIENSI  
ANNVENTE ILLVSTRI FACVLTATE IVRIDICA  
SVB MODERAMINE

DN. RVDOLPHI CHRISTOPH.  
HENNE IC<sup>T</sup>I,

ORDINIS ICTORVM ET IVDICII PROVINC. ASSESS. NEC NON IVRIS  
PVBLICI P. P. O.

FAVTORIS AD CINERES VS<sup>Q</sup>VE COLENDI

PRO GRADV DOCTORIS

E.T.

SVMmis IN UTROQVE IVRE HONORIBVS  
CONSEQVENDIS

DIE IX NOVEMBR. M DCC LVI.

IN AUDITORIO IVRIDICO COLLEGII MAIORIS HORIS  
CONSVENTIS

PVBLICO ERVDITORVM EXAMINIS SVBMITIT

NICOLAVS FRIDERICVS LENTIN

ERFFORD  
HOSP. MAI. ADMINISTR.

ERFORDIAE, Litteris HERINGIANIS, ACAD. TYPOGR.